BELLUM IN IDUMÆOS.

SEU

PROPHETA *OBADIAS*

Commentario illustratus,

Operâ & studio

JOHANNIS ELLIS

Mervinensis, S. S. Theol. Doctoris & Ecclesiæ Whitfildiensis in Comitatu Oxonienſi Rectoris.

PSAL. 125. 3, 4, 5.

Non requiescet virga impietatis super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.
Benefac, Domine, bonis, & rectis in cordibus suis.
Declinantes autem ad itinera virtutis sua, ambulare faciet eos Dominus cum operantibus iniquitatem: pax erit super Israelem.

LONDINI,

Excudebat *Felix Kyngston*, & prostat apud *Elisæum Morgan* in parva Brittannia. 1641.

BIBLIOTHECA BOTANICA

Clariſſimo viro,

THOMÆ TIPPING

de

WHITFIELD, Armigero, Militum Equeſtrium in Comitatu Oxonienſi Capitaneo, Patrono ſuo plurimùm honorando,

COMMENTARIVM

hunc in

OBADIAM PROPHETAM,

ut debitæ gratitudinis ſignum, & ſingularis obſervantiæ ſymbolum,

Lubens meritoq́
Dedicat conſecratq́,

Humillimus ejus in Chriſto ſervus,

JOHANNES ELLIS.

Clarissimo viro,

THOMÆ TIPPING

de

WHITFIELD, Armigero Militum Equestrium in Comitatu Oxoniensi Capitaneo, Patrono suo plurimùm honorando,

COMMENTARIVM

hunc in

OBADIAM PROPHETAM,

ut debitæ gratitudinis signum, & singularis observantiæ symbolum,

Lubens meritoq;
Dedicat consecratq;

Humillimus ejus in Christo servus,

JOHANNES ELLIS.

PROOEMIUM IN OBADIAM.

QUemadmodum in unionibus & gemmis, aliisque pretiosis ac parvis lapillis, fulgorem, virtutemque admirabilem posuit Deus, ita in *Obadia* Prophetarum minimo documenta pulcherrima & efficaciissima reliquit; & licet inter prophetas sit brevior numero verborum, est tamen gratiâ mysteriorum æqualis: Ergò teneamus *Obadiam* hunc, etsi minorem in propheris, tamen nobis magni esse faciendum.

Nunc omissis prolegomenis, quæ versu primo explicantur, prophetiam ipsam aggredimur, cujus argumentum his versibus continetur:

Crudelem vimina Vates reprehendit Idumen,
Invidiam, fastum, fœdera falsa notans.
Qui sanctos vexant, simili quoque lege peribunt;
Omnia devincet bella futura Sion.

Hujus autem libelli duæ sunt partes: prior est generalis prophetica præfatio, seu prophetiæ generalis inscriptio; posterior, specialis prophetica tractatio.

Prioris membrum primum, doctrinæ seu prophetiæ significatio: *Visio.* Secundum, Autoris nominatio: Autor primarius est *Dominus Deus*; secundarius, *Obadias*. Tertium, Objecti declaratio, quod est Edom. Quartum, argumenti prophetici enumeratio, ad prælium excitatio. *v.* 1.

Posterioris partis membrum duplex: unum *Legale*, alterum *Euangelicum*.

Legale comprehendit Edomitarum devastationem, & complectitur inanis fiduciæ eorum refutationem, pœnæ commination em, culpæ commemorationem.

Erat fiducia, summæ authoritatis seu reputationis præ reliquis gentibus. *v.* 2. Munitionum ac roboris. *v.* 3, 4.

Pœnæ commination est quadruplex, hostium insultatio. *v.* 5, 6. Confœderatorum deceptio, seu defertio. *v.* 7. Prudentum consiliariorum bellicorum privatio. *v.* 8. Fortium seu bellicosorum orbatio. *v.* 9.

Culpa Idumæorum fuit iniquitas & multiplex injuria: ubi addit propheta, cum temporis descriptionem, tum ipsam injuriarum enumerationem, quæ sunt, verbales, vel reales. Verbales, βλασφημία, insultatio, seu cum animi oblectatione derisio

derisio & calumniosa accusatio. Hostes, hostilis impugnatio, facultatum direptio, insidiosa oppressio. v. 10, 11, 12, 13, 14. Quarum omnium finem futurum dicit propheta à comparato. vers. 15, 16.

Pars posterioris membrum alterum est Evangelium, promissio de Ecclesiæ Judaicæ liberatione, & prophetia præcipuè de Ecclesia Novi Testamenti, seu regno Christi spirituali: hoc depingitur à subjecto, quod est mons Sion; ab adjunctis, quæ sunt beneficiorum conditio, seu enumeratio, & regni amplitudo, seu dilatatio, quæ describitur & explicatur: describitur simpliciter, & postea figuratè, per positionem & expolitionem. v. 17, 18, 19, 20. Explicatur à causis Efficiente, tum Instrumentali, Servatoribus; tum Principali, Iehova. v. 21.

Hæc est prophetiæ totius Analysis. Sequitur ipsius Textus, unà cum applicatione, explicatio. Atque incipit pars prior, quæ est generalis prophetica præfatio, versu. 1. his verbis.

VERS. 1.

Visio Obadiæ sic dicit Dominus Deus, de Edom; fermonem audivimus à Domino, & legatus ad gentes missus; surgite, & consurgamus adversus eum ad bellum.

Visio,

Visio, prophetia, quæ ex revelatione Dei immediatè fluit: prophetæ dicebantur Videntes, 1 *Sam.* 9. 9. Visio non solùm est imago sensilis, quæ oculis corporeis objicitur, sed etiam revelatio de futuris, quæ menti imprimitur: atque hoc verbum hebraïcum חזה significat; & læta designare, vel initio, vel fine potest. Ideò *Obadias* non usus est duro nomine oneris, quod tristia denotat, ut *Amos* & alii, sed visionis, quod generalius est: scopus enim ejus fuit consolari populum jam antè afflictum.

Visio Obadiæ] Cum puncta abfuerunt, quibus carebant olim privata Biblia, hæc vox ab aliquibus legi potuit, *Abdia*. Significat verò *Obadias* vel *Abdias* Dei cultorem & servum; nam *Obed* est serviens, & Iah contractum est ex Iehova.

Ex Idumæa oriundum esse inquiunt quidam, incertum quo tempore, & conversum prophetâsse contrà suos populares. Alii tradunt fuisse *Judæum*, *Sichemitam*, & Pentecontarchum regis *Achazia*, cui pepercit *Elias*, duobus prioribus igne cœlesti absumptis, 2 *Reg.* 1.

Alii volunt hunc esse illum, qui sub impio *Achab* pavit centum prophetas, 1 *Reg.* 18. at prophetia ostendit *Obadiam* ante deportationem tribus *Juda* non prophetâsse: dicit Edomitis interitum imminere, eò quòd Israelitis in exilium pulsis illuserint. Cum igitur inter *Achabi* ætatem

ætatem & exilium Babylonicum elapſi ſint 340. anni, vel eò circiter, vix poſſibile eſt *Obadiam* illum *Achabi* præfectum eſſe hujus prophetiæ autorem. Fuit & alius *Obadias*, cujus operâ *Joſiæ* in reparando Templo uſus eſt, 2 *Chronic.* 34. 12. atque ille etiam ante hunc noſtrum prophetam vixiſſe perhibetur.

Rabbini quidam dicunt illum fuiſſe Viduæ maritum, cujus inopiæ proſpexit *Eliſæus* multiplicando oleum, 2 *Reg.* 4. At quis credet *Obadiam*, ſi vixit tempore *Achabi*, *Achazia* vel *Eliſæi*, tam incurium fuiſſe, ut omitteret celebrem illam, quæ tum præ foribus erat, ſtragem ab *Amaſia* rege *Judæ* Idumæis inferendam, 2 *Reg.* 14. & ſolùm minetur aliam à Chaldæis poſt trecentos demùm annos obventuram? Quicquid itaque hi dicant, veriſimile eſt *Obadiam* claruiſſe ſub tempus deſolationis Ieruſalem per Chaldæos, ideóque coætaneum fuiſſe *Ieremiæ* & *Ezechielis*: & prophetia ejus pene eadem eſt quoad verba cum prophetia *Ieremiæ* contra eoſdem Idumæos, *Cap.* 49. ſimiliter *Ezechiel* in captivitate Babylonica idem argumentum tractavit, *Cap.* 25. Atque eadem querela de Edomitarum inſultatione habetur, *Pſal.* 137. 7. qui Pſalmus excidio Hieroſolymitano recentior eſt.

Utcunque ſe res habeat, non affert humana com-

commenta, sed verbum Domini. *Sic dicit Dominus Deus*] Inducit Dominum loquentem, ut conciliet sibi & prophetiæ authoritatem: coniungit duo nomina Adonai & Iehova, Dominus Deus; unum, Dei maiestatem; alterum, essentiam designat. Iehovah, nomen est Iudæis ineffabile, quod propter reverentiam non legunt, sed pro eo vel Adonai vel Elohim.

Dicit Dominus ad Edom] vel contra, vel super Edom, ad Idumæos, & de Idumæis, qui infestissimi semper fuerunt Iudæis. Edom sumitur collectivè, pro posteris Esaui, qui appellabatur Edom, rufus, quia pulmento rufo ità delectatus fuit, ut pro eo ius promogenituræ fratri venderet, *Gen.* 25. sicuti autem flagravit Edom seu Esau hostili odio adversus fratrem Iacobum, qui Israel dictus, ità posteritatis eius adversus Israelitas fuit odium hæreditarium: vitia parentum facilius quàm virtutes in sobolem transeunt: accidit hîc quod dicitur,

.....Fratrum quoque gratia rara est.

Et quia vix acriores hostes experti sunt Iudæi, quam Idumæos, ideo Romanos illis infensissimos, vocârunt novos Idumæos. Vocant etiam regnum Papæ regnum Edom impium: accommodant huc prophetiam Esaiæ, *Cap.* 21. 11.

Onus

Onus Duma, vel prophetia contra Duma, quam Hebræi quidam censent esse Idumæam: sed Rabbini legunt pro Duma, Roma, quia ד & ר sunt literæ affines, & ר modò ד u. est, modò ו o. ideò legunt pro du, Ro. Quidam etiam ex illis fingunt Iulium Cæsarem fuisse Idumæum; Alii Æneam, & ex Idumæa venisse in Ægyptum, indè in Lybiam, indè Carthaginem, indè in Italiam, ibique Albam condidisse, ex qua Roma prognata est. Origo fabulæ fuisse videtur excidium, quod Iudæi passi sunt à Tito & Romanis, indè Romani ab illis propter crudelitatem appellabantur Idumæi.

Cornelius à lapide & alii in locum.

Vaticinatur propheta contrà Idumæos, ut ostenderet specialem Dei providentiã erga Ecclesiam, quòd hanc servaret, licet eam castiget, & virgam quâ castigat, abjiceret in ignem: nam fore, ut luerent inimici dignas injuriarum pœnas.

Præterea invectivæ in Idumæos, ostendunt Iudæis, quæ peccata Deus ulciscatur potissimùm; ideóque non fas esse illis mores impiorum imitari, vel si peccatis similibus essent dediti, se pœnas similes effugere non posse.

Oraculum etiam hoc debuit Idumæos ad resipiscentiam & agnitionem veri Dei invitare: quod si non agerent, inexcusabiles essent.

Sermonem audivimus] Non solus audivit *Obadias*,

Obadias, ſed etiam *Ieremias*, & alii, ab ipſo Iehova; rumor itaque certiſſimus eſt. Miſſus eſt legatus, quis hic ſit, non exprimit propheta: Quidam volunt eſſe fecialem à *Nebucadnezare*. Alii ipſam motionem quâ Deus Chaldæos concitavit, & juſſit gentes inferre bellum Idumæis, non apertâ voce, ſed impulſu. Alii filium Dei, alii *Michaelem*, vel unum ex angelis, alii ſimpliciter prophetas, qui ſunt legati conſiliorum Domini. Quiſquis ſit, excitat gentes, *i. e.* Chaldæos, dicens, ſurgite mecum vel nobiſcum, & viribus junctis inſurgamus advorſus eam, *i. e.* Idumæam.

In hoc verſu primo documenta ſunt hæc:

1. Miniſtri ſuis auditoribus proponant, non viſiones proprias, ac opiniones privatas, ſed à Deo in ſcripturis revelatas. Ideò prophetæ toties inculcant, ſic dicit Dominus.

2. Auditores accipiant verbum, non tanquam verbum hominis, ſed (uti reverâ eſt) tanquam verbum Dei, 1 *Theſſ.* 2. 13.

3. Non voluntate hominis allata eſt aliquando prophetia; ſed à ſpiritu ſancto acti, locuti ſunt ſancti Dei homines, 2 *Pet.* 1. 21. Errant qui Traditionem & rationem propriam, pro regula fidei ſtatuunt. Rejiciendum eſt illud, undè ſcis hoc eſſe verbum Dei? vel hoc oraculum eſſe prophetæ illius? Verbum Dei, quod principium Religionis noſtræ eſt, non neceſſariò proban-

probandum, ſed per ſe fide dignum eſt: conſtat autem eſſe Dei verbum, ex vaticiniorum eventu, ex univerſali Prophetarum, Euangeliſtarum, Apoſtolorum, & piorum in ſequentibus ſeculis conſenſu.

4. Nomine proprio *Obadia* monetur quilibet, ut ſit verus *Obadias*, h. e. cultor ſeu ſervus Domini: Ità ſanctus *David*, Domine ſervus tuus ſum, *Pſal.* 116. 16. Sic Beata Virgo, Ecce ancilla Domini, *Luc.* 1. 38. & Iulitta Martyr, valeat vita, pereat pecunia, famula Chriſti ſum. Sanctus Baſilius

5. Hoſtes Eccleſiæ ſunt Idumæi, id eſt, homines φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι; voluptatum amatores magis quàm amatores Dei, 2 *Tim.* 3. 3. Carnales, Epicurei, terrena captantes; inſiſtunt Edomi veſtigiis, qui vendidit juſculo primogenituram; ſic illi, religionem, conſcientiam & hæreditatem cœleſtem, ob ventrem & voluptatem, vendunt.

6. Cum audimus bellum Edomitis ob varia peccata indici, peccata vitemus, & pœnitentiam agamus, memores illius Chriſti, *Luc.* 13. 3. Niſi reſipiſcatis, omnes ſimiliter peribitis.

7. Ad bella impiis inferenda incitantur homines à Deo.

8. Dei timorem in nobis augeat conſideratio potentiæ ipſius, qui tanquam ſummus imperator maximos exercitus è variis gentibus con-

conscriptos, contra nos immittere potest.

9. Etsi verò tales milites sint nefarii, tamen eorum operâ ob justam vindictam justissimè utitur Deus: ipsa verò instrumenta peccant, quia neque sciunt, neque sequuntur Dei voluntatem, nec spectant id, ut Deo servilem operam præstent, sed ut per fas & nefas opes & potentiam suam augeant: respectu eorum usurpari potest illud, quod Nisus pugnandi avidus dixit ad Eurialum,

——*Dine hunc ardorem mentibus addunt*
Euriale? an sua cuique Deus fit dira libido?
Virgil. Æneid. lib. 9.

10. Aliud cogitare non debent impiæ nationes, dum Dominum non timent, & justitiam non servant, quàm ut diu à præliorum tumultu tuti esse non possint, quum Deus iniquitatem semper ferre non velit.

Hactenus generalis prophetica Præfatio: sequitur specialis prophetica Tractatio, cujus membrum primum est legale, ostendens Edomitarum devastationem: *dicit Deus.*

VERS. 2.

Ecce, parvum reddidi te in gentibus: despectus tu valdè.

Hæc

Hæc verba referenda sunt ad illa, *vers.* 1. sic dicit Dominus Deus ad Edom, & sequentia per parenthesin interposita sunt. *Ecce*] rem novam ac magnam, inopinatam & insperatam degradationem denotat.

Parvum reddidi] Quidam hoc interpretantur ad verbum, in præterito, & historicè, quia non dedit Dominus Idumæis latam ditionem & opulentam, sed angustam & inopem, atque ità connectunt, ac si diceretur, cum tu Edom sis ita contemptus & parvus, quid superbis & magnus videri vis? Alii præteritum sumi volunt pro futuro, sicut hæc tempora crebrò permutantur apud Hebræos, ac si diceretur, Ego te reddam minimum inter gentes: hic enim est comminatio excidii Idumæorum, & illud, reddidi te, indicat consilium Dei esse certum: Uterque sensus verus est, sed posterior ad scopum melius facere indicatur.

Documenta hæc sunt.

1. Deus, prout sibi libuerit, unicuiq; suam distribuit sortem.

2. Contemptus ob peccata est una ex pœnis Dei.

VERS. 3.

Superbia cordis tui decepit te habitantem in scissuris petræ, altissimâ sede tuâ, dicentem in corde suo, quis dejiciat me in terram?

4. *Si exaltares te tanquam aquila, & si inter stellas posueris nidum tuum, inde dejiciam te, ait Dominus.*

Hic describuntur causæ judicii Dei, præcipua est elatio animi, superbia decepit te, extulit te, ita Septuaginta & alii: Verbum utrumq; significat; habetur, *Genes.* 3. Serpens seduxit me. Edom habitavit in speluncis rupium, in locis editis, naturâ arteque munitis, ut Alpini; ideò cristas erexit, & putavit se expugnari non posse. Idumæa fuit regio montosa, urbes habuit in præruptis petris constructas, & Metropolis ipsa Idumææ dicta fuit Petra, à qua nomen Arabiæ Petreæ fluxit. In scopulis erat quasi nidus affixa, veluti de Ithacâ locutus est *Cicero*, 1. de Oratore. Arces habuit, quas *Paulus Æmilius* dixit esse nidos tyrannorum; undè ipse illas è Græcia sustulit. In verbo נתן notatur stabilis sedes; ut Deus dicitur habitare in excelsis, sic de Idumæis dicitur, quod putent se perpetuò in habitaculis suis securos fore.

Attamen dicit Iehova, si exaltaret se, vel nidum

nidum ſuum, tanquam aquila, vel ut habet Textus Arabicus, *Ile al-naſar*, ad aquilam, ſi Idumæa gens tantæ eſſet pernicitatis ut aquila, quæ omnia tela velocitate volatuſq; ſublimitate effugere poteſt, & nidulatur in altiſſimis montibus; ſi arces ſuas inter ſydera, quod tamen impoſſibile eſt, collocaret, non foret ab hoſtibus immunis, Dominus qui ſublimior, eam humi proſterneret & captu facilem faceret.

Dictum Iehova eſt] claudit propheta comminationem aſſeveratione, hoc decreviſſe Jehovam, ut confirmet vaticinium ſuum, & Idumæis, qui de hac prophetia audirent, metum incuteret.

Documenta occurrunt hæc.

1. Inimici Eccleſiæ ſunt ſtolidè ſuperbi, freti propugnaculis in excelſo conſtitutis, vel aliis rebus externis, ut opinentur ſe Dejici nullâ ratione poſſe.

2. Cavenda tamen fiducia in locis munitis, Dejiciam te, ait Dominus ad Edom. Ubi glorioſa Ninive? Ubi ſuperba Babylon? Ubi inclyta Troja & aliæ urbes? præclare *Ovidius*, lib. 15. Metamorph.

Nunc humilis veteres tantummodo Troiæ ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte: magnæ viguere Mycænæ:
Vile solum Sparte est: altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

Ad hujus documenti illustrationem notatu dignum est, quod habet *Curtius*, lib. 7. & *Plutarchus* in *Alexandro*, *Arimazes*, (*Plutarcho Sisimetres*) qui in *Sogdiana* regione rupem ferè inaccessam, unoque tantùm angusto perviam aditu, cum triginta armatorum millibus insideus, rogatus ab *Alexandro* Magno, ut se dederet, eum irrisit, rogavitq; an *Alexander* volare posset? Cui *Alexander*, faciam, inquit, proximâ nocte, ut credas Macedones volare posse; Igitur trecentos juvenes fortissimos ingentibus promissis excitatos, noctu per prærupta saxa & invia à tergo, rupis verticem clam incredibili nisu ausuq; conscendere jussit, ac per eos insciis hostibus rupem occupavit & *Arima-*

zem

zem cruci affixit; sic apparuit nihil tam altum esse quò Dei virtus non ascendat: Ille enim hanc, atque alias, *Alexandro* concessit victorias.

3. Superbia fugienda est; quippe Deo invisa, & superbis ipsis perniciosa: Deus enim resistit superbis, eosque deiicit in terram, *Iac.* 4. 6. Superbi putant se in cœlum, in solium Dei posse conscendere, ideirco Deo quasi gloriæ ejus æmuli sunt exosi: hinc de impio dicit sanctus *Iob*, cap. 20. 6. si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Ità Lucifer, ejusque antitypus *Nebucadnezar* vel *Belshazar*, dixit, In cœlum conscendam, sed illicò audivit, detracta est ad sepulchrum vel ad Inferos superbia tua, *Es.* 14. 11. 13. Superbi astris se æquant: sic fastu turgidus *Atreus* in *Thieste* apud *Senecam* intonat,

Æqualis astris gradior, & cunctos super,
Altum superbo vertice attingens polum:
Dimitto superos, summa votorum attigi.
O me cœlitum excelsissimum,
Regumque regem, vota transcendi mea.

At Æsopus rogatus, quid faceret Deus?

Superbos, inquit, humiliat, & humiles exaltat, quasi hoc unum proprium sit Dei opus? Ità & humilis Salvator ait, *Luc.* 18. 14. Qui seipsum exaltat, humiliabitur.

Bene cecinit Seneca in Hercule,

Dominare tumidus, spiritus altos gere,
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Et in Thieste,

Vos, quibus rector maris atque terræ,
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidosque vultus:
Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimiùm secundis.

Vers. 5.

Si fures venissent ad te, si vastatores nocturni, (quomodo excisus esses?) nonne furati fuissent sufficiens sibi? si vindemiatores venissent ad te, nonne residuos fecissent racemos?

Quomodo

6. Quomodo rei Esau perveſtigatæ ſunt, vel, ut Druſius legit, perveſtigati ſunt poſteri Esau? perquiſita ſunt abſcondita ejus?

Hîc habemus amplificationem judicii divini erga Idumæos, cum inſultatione, quòd experturi ſint acerrimam hoſtium vim, qui aſſimilantur furibus, latronibus, vindemiatoribus; ac ſi diceretur, ſi fures & latrones ſpoliarent domos tuas, non omnia diriperent, ſed quæ ſibi ſufficere putarent, ſi vindemiatores ad vineam tuam venirent, aliquos ſaltem racemos relinquerent: at tecum longè deteriùs fiet; Chaldæi omnia tua expilabunt, & decerpent, imo recondita minutim, ſolerter & avidè à militibus inveſtigabuntur.

Auſtralis regio Idumæorum de Eleutheropoli uſque ad Petram, in ſpecubus ob ſolis calorem, habitatiunculas habuit, idcircò per ſtuporem & admirationem dicitur, omnia in Idumæa etiam abſtruſiſſima patefacienda eſſe, cavernas eſſe perluſtrandas: Atque ità accidit anno quinto poſt exciſam Hieroſolymam, inquit *Ioſephus, Nabuchodonoſore* anno regni ſui 23. invadente & vaſtante Idumæam. Sanctus Hieron.

Ioſeph li. 1. contra Appion. lib. 10. Ant. c. 10. & alii.

Documenta hæc sunt.

1. Nemo confidat opibus: fiunt enim facillimè hostibus præda, qui omnes expilent, ita ut nihil superfit.

2. Spoliatio alicujus populi est una ex pœnis Dei; servet nos Deus à militum truculentiâ.

VERS. 7.

Usque ad terminum dimiserunt te omnes fœderati tui: decepernt te, prævaluerunt tibi, qui tecum pacem colebant: comedentes panem tuum ponent vulnus subter te; non est prudentia in eo.

8. *Nonne in die illa dicit Dominus, perdam sapientes ex Edom, & prudentiam ex monte Esau?*

9. *Et percellentur fortes tui, Teman, ut exscindatur vir ex monte Esau propter cædem.*

7. Veniente Chaldæorum rege, omnes qui antè erant fœderati Edomitis, illos dereliqturi erant: usque ad terminum, vel ex finibus dimitterent eos, vel prosequerentur lachrymis abeuntes in captivitatem, sed fictis, vel communes hostes oppugnando auxilii & officii causâ, interea Idu-

Idumæos proderent, ac deſererent, vel Chaldæis ſe jungentes eliminarent Idumæos, & extra proprios fines expellerent, & ſic deciperent: hoc agerent viri pacis, Ammonitæ, Moabitæ & alii populi vicini, & prævalerent, ſuperiores eſſent: hoc agerent viri panis, comedentes cum illis, convictores, ac intimi ponerent vulnus ſub illis, Vox hebræa מזור ut vulnus, ita & circumligationem ſignificat, undè quidam accipiunt ità; ac ſi imponerent inimici Idumæis emplaſtrum quoddam, quaſi fovere velint illos, & malum curare, ſed tamen magis cruciarent. Alii referunt ad inteſtina diſſidia, quæ tanquam vulnus intrà corpus, & quidem inſanabile, excruciarent, & nullum eſſet auxilium: Sed ſimpliciot ſenſus eſt, infligent tibi vulnus grande, quod ipſe non animadverres, ſed uti piſcator ictus ſapies, clàm tibi erunt exitio. Ab hoſtibus injuriam pati nihil eſt abſurdi: nam nemo hoſti confidit; at à ſociis falli, deſeri & prodi, maximè moleſtum eſt, quod tamen Idumæis evenit.

Non eſt prudentia in eo] pro in te, per Enallagen perſonæ, vel Apoſtrophe eſt ad Iudæos alioſque: quaſi diceretur, tum patefiet iſtorum arrogantium ſtoliditas.

8. *Deinde nonne in die illa, dicit Dominus,*

perdam

perdam sapientes ex Edom?] Interrogatio hæc est fortiùs affirmans, Dominum in die vel tempore judicii & vindictæ suæ sublaturum fore sapientiam militarem ex Idumæa, (quæ tamen celebris fuit famâ sapientiæ, ut patet ex *Eliphaz* Temanite, & aliis amicis *Iob*, qui fuerunt Idumæi) *& prudentiam ex monte Esau?*] Ità ut non esset prudens dux aut miles in montanis *Esau*, in omni ditione illius, quæ fuit montosa; possedit enim *Esau* montem Seir.

Neque hoc solùm, sed percellentur, confringentur, concident animo præ nimio timore, fortes Teman, illius regionis, quæ ita appellata fuit à Teman *Esau* nepote & filio *Eliphaz*, qui fuit filius ipsius *Esau*, *Gen.* 36. 11.

Apellativè reddit hanc sententiam Vulgatus Interpres, ut etiam Chaldæus, peribunt fortes tui à meridie, vel habitantes ad meridiem, remotiores ab Aquilonaribus, id est, Chaldæis: Illi obliti roboris sui ad primos Chaldæorum ingressus contremiscent: *Eò quòd excindetur vir*] strenuus quisque bellator, *ex monte Esau*, è regione tota; non supererit ullus fortium *propter cædem*] quia tanta strages est futura: excindentur per cædem, ut alii, pavebunt, ità ut facilè ab hostibus capientur.

Docu-

Documenta.

1. Nemo fœderibus confidat, quia ſolent eſſe parùm fida; multi in ſecundis fratres, in adverſis erunt hoſtes: fœdera ſunt bona, ſed væ illi qui ſervat, ut dixit *Fredericus* Saxoniæ Elector, quem ſapientem vocarunt: Indicabat pleroſque fidem fallere, & ſervantiſſimos juris & æqui decipi; Nuſquam tuta fides.

Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, *Ieremiæ* 9. 4.

Quæret aliquis, an igitur illicita ſunt fœdera? Reſpondetur, non ſunt, ſed ineantur cum piis & fidelibus, ſi fieri poſſit; Si verò neceſſariò contrahendum eſt cum impiis, pacta ſint de rebus honeſtis, juſtis & ſalutaribus; ut de pace Reipublicæ, nè quis alterum offendat, ſed defendat contra hoſtem communem. In fœderibus autem contrahendis aut contractis, ne collocetur fiducia in hominibus, nec inde capetur occaſio ſecuritatis. Maledictus qui, derelicto Deo, confidit in homine, *Ieremiæ* 17. 5. Propheta Dei populum cautum eſſe vellet, & certè qui cavet nè decipiatur, vix cavet, dum etiam cavet.

2. Deus

2. Deus hostes qui conspirant contra populum suum sæpè committit inter se, ut in mutuam perniciem ruant, & ità malè pereant; ut dicitur *versu* 7. prævaluerunt tibi viri pacis tuæ.

3. Perfidia confœderatorum est una ex pœnis Dei.

4. Ante urbis & regionis ruinam, vel insignem mutationem, aufert plerunq; Deus sapientem Magistratum; prudentiam tollit à consiliariis, & sic corruit populus, *Prov.* 11. 14. juxta versiculos,

Cum Deus iratus pestem meditatur acerbam,
Vrbibus eximios eximit indè viros!

5. Fiducia non est ponenda in propria sapientia.

6. Cum Deus destinat evertere Rempublicam, cordatos ac fortes viros, vecordes ac effœminatos reddere solet, vel penitùs tollit.

7. Fiducia non est ponenda in robore ac forti-

fortitudine : contra Dominum nihil valet.

Fuit pœnæ comminatio, sequitur culpæ commemoratio, seu causa excidii Idumæorum.

Vers. 10.

Ob violentiam illatam fratri tuo Iacobo teget te pudor, & excindêris in seculum.

11. *Die quo stabas ex adverso, die quo capiebant alieni copias suas, & extranei ingrediebantur portas ejus, & de Hierosolyma jaciebant sortem, etiam tu tanquam unus ex illis.*

12. *Non spectâsses diem fratris tui, quo die alienus factus est, nec lætatus fuisses de filiis Iuda die interitus ipsorum; nec magnificâsses os tuum in die angustiæ.*

13. *Non ingressus fuisses portam populi mei in Die exitii eorum; nec spectâsses etiam tu malum ipsius, in die exitii eius; nec immisisses manum in copias ipsius in die exitii eius.*

14. *Nec stetisses in bivio ad excindendum elapsos eius, nec tradidisses superstites eius in die angustiæ.*

15. *Nam propè est dies Domini super omnes gentes: quemadmodum fecisti, fiet tibi, retributio tua revertetur in caput tuum.*

16. *Quia quemadmodum bibistis in monte*

meo

meo sacro, bibent omnes gentes ingiter: bibent, inquam, & absorbebunt, eruntque ac si non fuissent.

Prophetæ utuntur præteritis pro futuris, ob certitudinem oraculorum; hæc quidem tunc futura offerebantur prophetæ, ut præsentia vel præterita; ille enim præcessit hoc excidium.

Vulgatus Interpres conjunxit ultimas voculas *versus* 9. præ strage, cum *versu* decimo, & ità reddidit; propter interfectiones & iniquitatem in fratrem, &c. Sed Textus Hebræus *Vau* copulativum non habet, neque versum ità distinxit, aut hæc conjunxit: Nemo itaque Vulgatam Versionem defendere debet tanquam rectam, contrà fidem Hebraicorum codicum; cum non solùm hîc, sed in plurimis locis aliis, in rebus maximi momenti, à textu originali aberret: hoc obiter.

10. Excidii Idumæorum causa assignatur, quòd in fratres suos Iudæos, filios *Iacob*, fratris *Esau*, propinquos suos, ab hostibus afflictos, inhumani fuerint & crudeles: Ideò tegeret illos pudor, cum se viderent ab iisdem Chaldæis spoliari & occidi, quod proculdubiò fieret; dixit Propheta quod exinderentur in seculum, perpetuò delerentur, atque ipse exitus hoc probavit, ut ex sequentibus plenius videbitur.

11. Hæc

11. Hæc autem injuria ſumma fuit, quòd eo die, quo ab hoſtibus ſunt obſeſſi & oppugnati Judæi, ex adverſo ſteterunt Idumæi, primò forſan ſpectatores otioſi, ſed poſteà unà cum hoſte dimicantes, cum alieni, Chaldæi ſive Babylonii, Judæorum facultates diripiebant, & ingrediebantur portas captâ Ieruſalem, & mittebant ſortem ſuper ſpoliis & captivis, (Hiſtoria deſcribitur, 2 *Reg.* 24. & 25.) Edom erat quaſi unus ex eis, & pari modo invadebat, ſpoliabat, devaſtabat, cum procul abeſſe debuerat; quin & alios ad Hieroſolymam funditùs excindendam, impellebat; dicens, nudate, nudate uſque ad fundamentum in ea. *Pſalm.* 137. 7. & 3. *Eſdræ*, *cap.* 4. *ver.* 25. Templum Hieroſolymitanum dicitur ab Idumæis incenſum fuiſſe.

Cum dicitur, tu eras tanquam unus ex eis, Emphaſis eſt in particula Tu, ſicut in illo *Julii Cæſaris* ad *Brutum*, καὶ σὺ τέκνον; & Tu fili mecædis? *Xiphilin. Sueton.*

12. At propheta dicit, *Non ſpectáſſes diem fratris tui?*] Septuaginta omnia futura uſque ad *verſum* 15. per Imperativum vertunt, nè aſpice, vel aſpicias, non lætare, vel læteris. Alii futurum retinent, non ſpectabis poſthac cum lætitia cladem fratrum tuorum. Alii, quod magis

magis placet, sic accipiunt, non spectâsses, id est, spectare non debuisses diem judicii fratris tui, consanguinei tui Israelitæ, quo die alienus, vel captivus factus est, nec lætari debuisses in die interitus filiorum *Iudæ*, nec loqui magnifica & superba, nec ampullas & sesquipedalia verba insultando projicere debuisses, cum Iudæi premerentur angustiis.

13. Nec ingredi debuisses portam populi mei, ut cum Chaldæis spoliares, nec spectare debuisses cum voluptate calamitatem ipsius, nec immittere manum debuisses in substantiam vel opes ipsius, (quidam reddunt exercitum.)

14. Nec stare debuisses tanquam prædo, qui solet incautos viatores obruere, in bivio, in locis oppotunis ad comprehendendos & opprimendos illos, qui è Babyloniorum manibus fugâ evaserant, nec prodere, nec in perpetuos carceres trudere, vel trucidare debuisses elapsos & superstites, quod scelus fuit summum atque detestandum: hoc tamen fecisti, sed pœnas lues dignissimas.

15. Nam propè est dies Domini, dies ultionis, non solùm in te, O Edom, sed etiam super omnes gentes, quæ fuerunt hostes populi Dei:

(hoc

(hoc prædixit *Ieremias* in Chaldæos alioſque, *cap.* 25. & 51.) Sicut feciſti, fiet tibi, ſicut afflixiſti Iudæos, ita & tu affligêris à Chaldæis aliiſque: in te enim, & in caput tuum regerentur mala, quæ Iudæis inuliſti: & Chaldæi etiam ab aliis vaſtabuntur, nempe à Medis & Perſis.

16. *Nam quemadmodum bibiſtis*] Sicuti vos Idumæi clade Iudæorum gauiſi & epulati eſtis, haurientes calices lætitiæ, in excidio Sionis, ſic multæ gentes, inter quas vos Idumæi primi eritis, calicem haurient furoris Domini, ſcelera eorum per Chaldæos & alios plectentis, totum calicem uſque ad fundum cum fæcibus epotare cogentur, atque hoc jugiter, donec penitùs abſorbeantur: hæ gentes ita vaſtabuntur, ut ad nihilum propemodùm redigantur, ac ſi nunquam in rerum natura extitiſſent.

Bibent gentes] Quidam ſic explicant, Bibent gentes apud te, O Edom, convivia agitabunt, & de te ſubacto triumphabunt, deglutient, ità ſtrenuè potabunt, ut te omniaque bona tua abſorbeant; ſed clauſula hujus verſus huic expoſitioni repugnare videtur, quià de gentibus his dicitur, erunt ac ſi non fuiſſent.

Quidam prius membrum [*quemadmodum bibistis*] ad Judæos referunt, sicuti bibistis vos Judæi de calice furoris Domini, ità bibent aliæ gentes: & dicunt *Obadiam* respicere ad vaticinium *Jeremiæ, Cap. 25. vers. 15.* Videtur tamen ex collatione præcedentium cum subsequentibus esse continuatio Sermonis ad Idumæos, non subitâ atque solâ ad Judæos Apostrophe.

Documenta.

1. Injuriæ erga proximum, imprimis erga sanguine junctos, præcipuè pios, Deo exosæ sunt, ideò fugiendæ.

2. Qui alterum ignominiâ afficit, ipse etiam pudore afficietur & peribit. *vers. 10, 11.*

3. Procul à nobis sit detestabile vitium ἐπηρεασμοῦ, seu insultationis in aliorum calamitatibus: nescimus quid crastina dies sit paritura, hodiè illi, eras mihi, geramus nos vicera misericordiæ: qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus, *Prov. 17. 5.* nè lætemur in die perditionis aliorum, ut Idumæi. *vers. 12.*

4. Etsi

4. Etsi plurimùm Ecclesiæ nocent hostes manifesti, tamen [illegible] & simulatores sunt deteriores & detestabiliores, ut qui clàm invadunt pios, & in manus inimicorum tradunt: vers. 13. 14.

5. Deus injurias populo suo à profanis gentibus illatas vindicare solet: quod facit ad piorum consolationem. v. 15.

6. In sumendis pœnis Deus legem talionis observare solet, sicut fecisti, fiet tibi. vers. 15. Atque hæc lex talionis, τὸ ἀντιπεπονθὸς, ut vocat *Aristoteles* in Ethicis, est omnium æquissima, vel ipsis Ethnicis testibus: Justum enim est, ait *Rhadamanthus* 5. Ethicorum, ut quod quis injustè aliis intulit, idem subeat & patiatur. Væ tibi spolianti, quia spoliabere, *Es.* 33. 1. per quæ quis peccat, per eadem punitur: qui ducit in captivitatem captivus, abducetur, & qui gladio occidit, gladio occidetur. *Apocal.* 13. 10. Quod alij facis, ab aliis expectas; idcòq; beneficia dea, ut bona recipias.

7. Cum Deus non parcat populo suo, sed eum propter peccata castiget, non est quod sibi persuadeant gentes profanæ se à pœnis divinis immunes fore: pii bibunt calicem tribulationis, multò magis biberis impiè.

8. Peccator qui bibit calicem voluptatis, bibiturus est calicem ultionis Dei: Calix mellis in fœces fellis definit. Scribit *Herodotus* fluvium *Hypanim* è fontibus, quinque dierum viâ exilem profluere ac dulcem, deinde post aliorum quatuor dierum iter, perquàm amarum: Talis est voluptas, tale ejus γλυκύπικρον. i. e. dulce amarum.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Boetius, lib. 3. Metro. 7.

Lege Dei æternâ sancitum est, ut illicita voluptas pariat ultricis conscientiæ furias & supplicia, juxta illud, *Apoc.* 18.7. Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

9. Oracula Dei sunt & fiunt semper vera, etiamsi non statim compleantur. Ubi nunc sunt Idumæi? Iudæi habitant passim inter Christianos & Mahhumedanos, in Africa, Egypto, maxi-

mè

mè in Oriente & Septentrione, sed nomen Edom periit, nisi quantum in sacris literis nobis refertur. Legimus Idumæos, unà cum Moabitis, Ammonitis, & aliis vicinis populis, vastatos fuisse à Chaldæis, deinde à *Juda Maccabæo*, iterumque ab ejus nepote *Hircano*, denique à Romanis, aliisque principibus, ut jam nè nomen illorum supersit. *Ioseph. lib.* 1°. *Antiq. cap.* 10. *& alii* 1. *Mac.* 5. 65. 2. *Mac.* 10. 16, 32.

Hactenus fuit hujus prophetiæ pars legalis, jam sequitur Evangelica.

Vers. 17.

At in monte Sion erit qui evadet, & erit sanctitas, & hæreditabit domus Iacob hæreditates suas.

18. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Esau stipula, & accensi in eis consument eas, nec erit superstes domui Esau, quoniam Dominus locutus est.*

19. *Et hæreditabunt Australes Indei montem Esau & Campestres Palæstinos; & hæreditabunt agrum Ephraim, & agrum Samariæ, & Benjamin hæreditabit Galaad.*

20. *Et exules exercitus istius, nempe filiorum*

Israël, quæ fuerunt Cananæorum, Sarphath usq; hæreditabunt, & exules Hierosolymitani, qui in Sepharad, hæreditabunt urbes Austri.

21. *Et ascendent servatores in montem Sion, ad judicandum montem Esau, & erit Domino regnum.*

17. Idumæi manebunt captivi; at Iudæi liberabuntur per *Cyrum*; in Sione erit salus, restituta libertate & religione: præsertim per Christum & prædicationem Evangelii erit sanctitas, Sanctus Deus habitabit in monte & templo, mons Sion erit sanctus. Christo veniente, & spiritum sanctum effundente, in Sion & in Iudæa Euangelii sanctam legem promulgante.

Familia & posteri *Iacob*, duæ tribus Babylone reversæ, iis dominabuntur, quorum jugum passæ fuerant, non solum possessiones suas, quas Iudæis reddere coacti sunt Idumæi, Samaritæ & Syri, *Dario* mandante; sed possidebunt insuper ipsosmet Idumæos, & agros ipsorum: plenissime id perfectum fuit à Christo, qui barbaras gentes veræ Sioni, id est, Ecclesiæ subjecit.

Ioseph. lib. 10. Antiq. cap. 4.

18. *Erit domus Iacob igni*] Domus *Iacob* sunt duæ tribus *Iuda* & *Beniamin*, domus *Ioseph* sunt decem tribus Israel, quarum caput fuit *Ephraim*, prognatus ex *Ioseph*. Sensus est, duæ tribus

tribus cum illis, qui è decem tribubus ante vel post captivitatem se illis junxerunt, invadent Idumæam eamque succendent, ac sibi subdent, sicut ignis incendit stipulam. Id factum ab *Hircano* & *Iuda Macchabeo*, qui Idumæos ad circumcisionem compulit, atque ita possederunt eos, ut non remanserint ullæ eorum reliquiæ, nè vel unus quidem πυροφόρος, ignifer, qui Græcorum & Orientalium more facem castris præferebat, quem violare summum nefas habebatur, quod legati munere fungeretur, nec vel unus nuncius cladi superfuit: Quod de Idumæis ab *Hircano* subactis verè dici potuit, nam tunc desierunt esse Idumæi, quoad religionem & imperium, & cœperunt esse Iudæi: Verissimè, cum conversi ad Christum desierunt esse Idumæi & facti sunt Christiani. Apostoli infidelitatem, idola & vitia Gentium absumpserunt, ardentes prædicationis Euangelii igne, atque hoc Dominus, tanquam indubitatum, Prophetæ revelavit.

Ioseph. 13. Ant. 17.

Alex. ab Alex. li. 5. c. 3.

19. Judæi illi, (nempe tribus Juda) qui eam partem Judææ incolunt, quæ magis vergit ad Austrum, hæreditabunt montanam Idumæorum regionem sibi vicinam, & Campestres Judæi possidebunt urbes & agros Philistinorum, Gazam, Ascalonem, &c. quæ omnia *Augustus*

dedit *Herodi* Ascalonitæ, & eo mortuo filiis ejus, sed in Tetrarchias divisa, *Luc.* 3. possidebunt etiam Samariam, totamque sortem tribus Ephraim; nam & hanc subegit *Hircanus*, excisso templo eorum in Garizim: & tribus *Benjamin* possidebit provinciam Gilead, quæ est regio sita inter Jordanem & montem Libanum.

20. Multitudo Judæorum in Babylonem translatorum, tandem in patriam felicitèr rediens, possidebit omnia loca Cananæorum, omnes urbes maritimas, totam plagam illam, quæ usque ad Sareptam excurrit inclusivè, quæ est inter Tyrum & Sidonem: Hebræi intelligunt per Cananæos Alemannos sive Germanos, & *Sarephath* illis est Francia. Corporalis restitutio in terram Canaan non solùm à Judæis expectatur, sed etiam aliarum gentium provinciæ expectant, in qua dulci imaginatione sunt quasi immortui; credunt Messiam nondum venisse, quià Imperium Romanorum & Christianorum non sit adhuc destructum, & pro hac destructione Imperii quotidianas fundunt preces.

Buxtorf. in Synagoga c. 5.

Exules Hierosolymitani, Judæi ex Hierusalem translati, qui sunt in Sepharad, vel in Urbe aliqua Babyloniæ aut Assyriæ, vel in extremis Imperii Babylonici finibus, remigrabunt ad suas Australis plagæ urbes & provincias: Quidam

dam notant Assyrios vel Chaldæos Sepharad appellare terminum, sicut Hebræi vocant, Gebul. Græci habent τὸς ἀγαρὰδ, intelligunt Euphraten celeberrimum Chaldeæ flumen, quod est in Oriente.

Alii per Sepharad intelligunt Hispaniam, at Hispania nunquam ita fuit vocata, Syrus Interpres in *cap.* 15. ad Romanos, non Sepharad vertit, sed Hispania.

Alii intelligi volunt urbem, quæ vocatur Siphron, *Num.* 34. 10. quæ fuit terminus Aquilonaris Cananææ: & quidam vertunt, exules possidebunt illud quod in Sepharad, id est, in fine dominatus, justos & integros limites dominii sui usque ad extremum.

S. *Hieronymus* ait, Judæum à quo ipse didicit linguam Hebræam, dixisse Sepharad esse Bosphorum.

Hebræum *Bisepharad*, si ut proprium nomen loci accipiatur, quoad consonantes, idem penè est, quod Bosphorus: Si appellativè sumatur, est quasi Soph pered, terminus divisionis. Talis autem est Bosphorus Thracius juxta Constantinopolin, qui duo maria, Asiamque ab Europa dividit. Talis & Cimmerius Bosphorus in introitu Mœotidis paludis, ubi erat terminus Imperii Chaldaici, ubi horrida & aspera regio, quæ secundùm *Homerum* fuit sedes Inferni, ibi enim est Cerberion mons, & fluvius Cocytus, & Phlegethon

gethon & Tartarus: plurimi exules eò relegabantur, (quidni & Iudæi?) ad marmora effodienda. Talis denique est Bosphorus Hispanicus, putà Gades ad fretum Herculeum, de quo plurimi hunc locum intelligunt, & aiunt *Nebuchadnezzarem*, post excisam Hierosolymam, subjugasse etiam Hispaniam, utique & captivos Iudæos eòdem deportasse. In tanta Varietate verisimile est sensum hujus loci esse, quem prius dedi, Iudæos à remotissimis Imperii Chaldaici partibus in patriam eorum reversuros esse. At vaticinium hoc de recuperanda Terra Sancta, spiritualiter præsertim accipiendum est; ab extremis terræ finibus advolabunt Iudæi, tum carnales, tum spirituales, in Ecclesiam Christi, *Rom. 9.*

Ioseph. Ro. Ant. c. 10. Tirinus in locum & alii plures.

21. Dicit propheta, quòd ascenderent in Sion corporalem servatores, propugnatores, quales fuerunt *Zorobabel, Esdras, Machabæi*, qui coercerent & subjicerent sibi Idumæam.

Ascendebant in Sion corporalem & spiritualem Servatores, Christus, Apostoli, eorumque successores: Rex Messias & socii ejus sunt Servatores, inquit Rabbi *David Kimchi*, Ecclesia à terrena Hierosolyma initium cœpit, & postea propagata est per mundi plagas. E Sion exiit Euangelium,

Circum à Reutero in locum,

Euangelium, Sion typus Ecclesiæ fuit, in qua sola salus.

Christus est servator principalis, potentiâ suâ, merito & efficacia, at Apostoli reliquique ministri servatores instrumentales dici possunt; hinc & *Paulus Timotheo* dicit, Attende tibi ipsi & doctrinæ, hoc agens, teipsum servabis, & eos qui audiunt, 1 *Tim.* 4.16. De his dicitur, quòd judicabunt montem *Esau*, Antichristum cum toto regno ejus; omnes etiam in mundo impios & infideles, quod & in hac vita fecerunt, & prædicatores Euangelii semper facient, mundum redarguentes de peccatis, & multos redigentes ad obsequium Christi; post hanc vitam illud planè perficietur, cum Apostoli & Sancti judicabunt mundum, eoque assessores Christi, & possidebunt ipsi cœlestem Sion. Tunc erit Domino plenum regnum & pacificum imperium, nullo planè resistente.

Documenta.

1. Pii amissas suas hæreditates Dei benignitate recuperare possunt: Credentes utcunque possessionem vitæ æternæ sibi promissam jure hæreditario consequentur, *Rom.* 8.17.

2. Qui invadunt aliena, merentur perdere sua.

3. Qui

3. Qui se opponunt Ecclesiæ, succendentur æstu iræ Dei, & veluti stipulæ conflagrabunt, piis illatæ iniuriæ impios tandem perdet.

4. Deus populum veterem de bonis spiritualibus, per symbola bonorum corporalium atque terrenorum eludere solitus fuit.

5. Præcones Euangelii sunt instrumenta, quibus Deus utitur ad salutem æternam electis suis conferendam.

6. Officium Christi regium agnoscamus; Ipse Ecclesiam suam semper gubernabit: nos illi colla nostra subiiciamus. Regem hunc audiamus & colamus, ipsius servos tanquam servatores, vel salutis ministros suscipiamus, eorum verba audiamus, & à Christo petamus, ut cum illo in gloria sempiterna regnemus:

quod faxit Dominus, cui sit
gloria sine fine.
Amen.

Mart. 19. 1640.

Imprimatur

THO: WYKES.